

## PETRI ABAELARDI EXPOSITIONES THEOLOGICAE

[1] Expositio orationis dominicae "Multorum legimus orationes".  
Charles Burnett, Revue Benedictine 95 (1985) 60-72.

[2] Expositio symboli Apostolorum.  
Cousin-Jourdain, Petri Abaelardi opera I 603-615.

[3] Expositio fidei in symbolum Athanasii.  
Cousin-Jourdain, Petri Abaelardi opera I 615-617.

\*\*\*\*\*  
\*\*\*\*\*

SCANNED FROM: "The Expositio orationis dominicae 'Multorum legimus orationes'", ed. C. S.  
F. Burnett, Revue benedictine tom.95 (1985) pp.60-72.

/66/

### EXPOSITIO ORATIONIS DOMINICAE 'MULTORUM LEGIMUS ORATIONES'

[1] TRACTATUS EIUSDEM SUPER DOMINICAM ORATIONEM.

[2] Multorum legimus orationes, sicut Moysi uel aliorum, sed tanto praeeminet haec uniuersis, quanto maior ille est qui hanc per semetipsum discipulis suis tradidit, scilicet dominus Iesus, a quo et ipsa dominica proprie est appellata.

[3] Ut enim Lucas meminit,  
factum est cum ipse esset in loco quodam orans, et postmodum ab oratione cessaret, /67/ et ei unus ex discipulis diceret, "Domine doce nos orare, sicut et Iohannes discipulos suos docuit", et ait illis, "Cum oratis dicite, Pater sanctificetur nomen tuum".

[4] Cum autem haec oratio sermoni eius in monte habito inserta, tam a Matthaeo quam a Luca scribatur, qui soli sermonem illum referunt, placet illam magis secundum Matthaenum prosequi, qui eam plenius ac perfectius, sicut et totum illum sermonem commemorat, utpote qui interfuit, et ab ipso domino, non ab alio, eum didicit.

[5] Ut enim meminit beatus Hieronymus:

Aliter audita, aliter uisa memorantur, et quod melius intelligimus melius proferimus.

[6] Unde non sine admiratione habemus qualiter haec consuetudo euenerit, ut inter missarum sollemnia, uerba quaedam Matthaei ab oratione dominica subtrahantur, et uerba Luce apponantur, qui non eam ab ipso domino audiuit, sed a Paulo didicit, qui nec illi sermoni interfuit.

[7] Ubi enim Matthaeus dicit "panem supersubstantialem", Lucas ponit "panem cotidianum", et ubi ille dicit 'cotidie', iste dicit 'hodie'.

[8] Duas quoque petitiones Lucas praetermittit, quas Matheus ponit, scilicet "fiat uoluntas tua", et "libera nos a malo".

[9] Cum itaque Matthaeus orationem dominicam diligentius ac perfectius, cum eam ab ipso domino audierit et didicerit, scribat, ualde mirandum est cur aliquod eius uerbum praetermittatur, qui et docentem uiderit et loquentem audierit, unus uidelicet eorum quibus ipse ait:

Beati oculi qui uident quae uos uidetis, et aures quae audiunt quae uos /68/ auditis... etc.

[10] Quid est enim quod uniuersa uerba Matthaei pro eorum perfectione retineantur, et unum solum mutetur, scilicet cum dicimus 'cotidianum'

pro 'supersubstantialem', cum longe melius uerbum apostoli, et simul euangeliste, panis illius excellentiam exprimat, quam uocabulum ab alio euangelista positum.

[11] Quanta est praesumptio ex uerbis duorum euangelistarum copulatis unam orationem conficere, quasi euangelistam utrumque corrigamus, cum neutrum per omnia sequamur, et ita ex utrisque ipsa sit coniuncta sicut a neutro reperitur scripta.

[12] Denique sapientissimorum Grecorum prouidentia, unde ad nos tam diuinae quam saeculares doctrine manauerunt, et quorum maxima concilia totam ubique terrarum aecclesiam tam de fide quam de moribus instruxerunt, solum Matthaeum in hac oratione ita sequi decreuit, ut eius hic uerba frequentent dicentes, \*arthon hemon epiouion\*, hoc est 'panem nostrum supersubstantialem'.

[13] Quamuis enim Lucas Graece, Matthaeus Hebraicae scripserit, peregrinam linguam tamen magis quam propriam tum pro auctoritate apostoli tum pro perfectione quam diximus praepone decreuerunt.

[14] Octo autem partibus secundum Matthaeum haec oratio distinguitur, quarum prima pars est inuocatio, quae est PATER NOSTER /69/ QUI ES IN CAELIS.

[15] Deinde septem petitiones sequuntur, quarum tres priores ad deum pertinent, quatuor reliquae ad unos.

[16] Si quis forte quaerat cur uerbis orandus sit deus, et cur apud eum qui cordis inspector est deuotionis non sufficiat affectus, respondemus, his duabus de causis mihi fieri uidetur, quarum una ad honorem dei, altera ad commodum nostrum pertinet.

[17] Cum enim dominum oramus ut aliquid faciat, illud potius ab ipso quam a nobis esse recognoscimus, et quasi per gratiam dei esse collatum, non nostrarum esse uirium.

[18] Ipsa insuper prolatio uerborum quedam est deuotionis exercitatio, ut facilius impetremus quae deuotius postulamus, et per haec que dicuntur oportet ut intelligantur.

[19] Nunc ad litteram accedamus, ipsum prius deum orantes, ut orationis suae nobis conferat intelligentiam, quae ipsam nobis faciat fructuosam.

[20] PATER NOSTER QUI ES IN CAELIS. Cum PATER potius dicit quam 'domine', nos sibi per amorem potius quam per timorem admonet seruire; timere quippe seruorum, amare filiorum.

[21] Unde apostolus christianam seruitutem a iudaica distinguens conuersis iam iudeis aiebat: non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis in quo clamamus abba pater.

[22] Non mediocris uidetur beniuolentiae captatio, dum quem oramus patrem uocamus, ut ex dulci nomine ad paternae dilectionis affectum moueatur, et non tam quid seruis quam filiis debeat recordetur.

[23] Cum quisque NOSTER potius dicit quam 'meus', filium dei per adoptionem potius quod multis est commune quam per substantiam quod solius est Christi se esse profitetur.

[24] Bene autem haec oratio non singulariter ab unoquoque sit sed pluraliter, cum dicitur 'noster' uel 'nostrum', 'nobis', 'nos', quia tanto facilius quod petimus impetramus, quanto per fraternae dilectionis affectum altos in oratione nobis sociamus.

[25] QUI ES IN CAELIS, hoc est per gratiam habitas in sanctis, qui per munditiam quasi de terra facti sunt caeli, caelestis uidelicet hominis

/70/ portantes imaginem non terreni, et mente et desiderio caelum potius quam terram inhabitantes, toto desiderio in superioribus non in infimis constituti.

[26] De quibus caelis dominus ait:

Caelum mihi sedes est

id est anima iam sublimis et desideriis feruens spiritualibus.

[27] SANCTIFICETUR NOMEN TUUM. Post inuocationem petitiones adiungit, et quia plus gloriam dei quam utilitatem nostram quaerere nos oportet, hic quippe finis debet esse in omnibus quae agimus, scilicet ut glorificetur deus, tres iste ut diximus petitiones glorificationem eius exostulant, de cuius uiolatione ipse per Ezechielem de reprobis iudeis conquerens, et eos increpans ait

nomen sanctum meum polluistis in gentibus.

[28] Quam et apostolus sententiam inducens ait

nomen dei per uos blasphemari

hoc est irrideri uel uilificari ab infidelibus dicitur, cum peruerse agere uiderent eos qui se populum dei uocant, sic e contra ipsum sanctificatur et benedicatur seu laudatur, cum eius populus sancte et religiose uiuit, et illud implet uiuendo quod ipsemet precipit dicens,

luceat lux uestra... etc.

[29] De hac glorificatione diuini nominis per eundem prophetam dicit dominus,

sanctificabo nomen meum quod pollutum est inter gentes, quod polluistis in medio eorum.

[30] Quod etiam subsequenter exponit dicens,

faciam ut in praeceptis meis ambuletis... etc.

[31] Sicut enim quantum in nobis est deum inhonoramus, cum eius praecepta condemnimus sic e contra nostra eum honorat oboedientia.

[32] NOMEN itaque eius quod sanctum est in se etiam in nobis SANCTIFICATUR, cum sic sub nomine eius uiuimus, ut ipse a quo Christiani uel etiam dii dicimur, ex uita nostra glorificetur.

[33] Ut autem ita NOMEN eius SANCTIFICETUR in nobis, orandum nobis est ut expulso a nobis regno diaboli siue peccati de quo dicit apostolus,

non regnet peccatum in uestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis

eius, regnum dei adueniat in nobis quod est secunda petitio.

[34] ADVENIAT REGNUM TUUM, hoc est tuum in nobis sit dominium, ut spontaneam tibi exhibeamus oboedientiam.

[35] Quod ut fiat, FIAT VOLUNTAS TUA IN NOBIS, quae est tertia petitio; TUA inquam, quae errare non potest uel mala esse.

[36] Tunc autem uoluntatem dei facimus, dum quod ipse approbat et nobis consulit implemus, FIAT inquam SICUT IN CAELO ET IN TERRA, id est, ut ipsa terra nostra conuertatur in caelum, hoc est sic a carnalibus et terrena quaerentibus /71/ illa impleatur, sicut a spiritualibus et celestia desiderantibus.

[37] PANEM NOSTRUM SUPERSUBSTANTIALEM DA NOBIS HODIE. Praemissis, ut dictum est, tribus petitionibus ad honorem dei pertinentibus, ad quatuor reliquas accedit, quibus postulatur uirtutes, in quibus fidelium perfectio subsistit, scilicet prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo.

[38] Sicut autem prudentia tam tempore prior est quam natura, sic et eius petitio prior ponitur cum dicitur, PANEM NOSTRUM etc., quae est quarta petitio.

[39] Et ut ab omnibus tua uoluntas impleatur has uirtutes attribuae nobis quae nobis animae perfectionem siue salutem conferant.

[40] Panis iste est spiritualis cibus animae, scilicet diuini uerbi intelligentia, de quo dicitur non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore dei.

[41] Hunc PANEM, id est intelligentiam sacrae scripturae, qui non ruminat, et in eo fissionem unguiae non habet, immundum animal lex iudicat, quia nulla est mentis munditia, ubi eorum quae deus praecipit manet ignorantia.

[42] Verbum dei ruminat, qui ipsum frequenter reuoluit, ut diligentius intelligat, iuxta illud: in lege eius meditabitur die ac nocte.

[43] Ungulae diuisio discretio est, quam in diuinis uerbis habemus, cum uidelicet diligenter attendimus quid iuxta litteram accipiendum, quid ad mysticum uel moralem sensum sit applicandum.

[44] Ex hac triplici intelligentia dum quasi quibusdam ferculis anima reficitur, prudentia illustratur, ne generare fastidium possit ista diuersitas ferculorum.

[45] Panis autem supersubstantialis dicitur haec intelligentia, quia hic cibus anime longe excellentior est quam quodlibet substantiale, id est alimentum corporale, quod nobis cum brutis animalibus est commune.

[46] Quod dicit hodie, tale est ac si dicat, in hac praesenti uita hoc nobis uiaticum ministra, ne deficiamus in uia.

[47] Quinta petitio est qua dicitur, ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS.

[48] Iustitiae postulat aequitatem, aequum quippe est et iustitia exigit, ut quales nos per misericordiam exhibemus proximo, talem nobis inueniamus deum.

[49] DEBITA dicit penas pro peccato debitas.

[50] Cum dicit SICUT ET NOS DIMITTIMUS, aliis sua debita, in tantum ad misericordiam nos constringit, ut haec oratio potius a nobis ad damnationem quam /72/ ad salutem dicatur, si misericordes non fuerimus.

[51] Debitores nostri sunt qui uel terrenam substantiam nobis debent, uel emendationem pro offensis. ET NE NOS INDUCAS IN TEMPTATIONEM, uirtutem temperantiae petimus, ne suggestionibus uoluptatum assensum praebeamus.

[52] Tale est, NE NOS INDUCAS IN TEMPTATIONEM, ac si dicatur, ne nos ita temptari permittas, ut prauis concupiscentiis uicti succumbamus.

[53] SED LIBERA NOS A MALO, hoc est, da fortitudinem et robur animi inuictum ad quaelibet aduersa toleranda, ne metu aliquo uel pusillanimitate a rectitudine declinemus.

[54] AMEN, id est, fiat.

\*\*\*\*\*  
\*\*\*\*\*

SCANNED FROM: Victor Cousin, ed. adiuuante C. Jourdain et E.

Despois. Petri Abaelardi opera, tom.I, Paris 1849, pp.603-615

/603/

#### EXPOSITIO SYMBOLI APOSTOLORUM

Institutum, fratres, a patribus sanctis habemus, tam symbolum fidei, quod dicitur apostolorum, quam orationem dominicam ab omnibus communiter christianis debere sciri, et memoriter retineri, ut promptius queant frequentari. In illo quippe fidei confessio breuiter est expressa: in ista instruimur a Domino postulare necessaria. Ex concilio Remensi, capitulo VIII:

Ut omnis presbyter omnibus parochianis suis symbolum et orationem dominicam aut ipse insinuet, aut insinuanda iniungat: ut cum ad confessionem tempore quadragesimali uenerint, haec ab unoquoque memoriter sibi decantari faciat. Nec ante /604/ sanctam communionem alicui tradat, nisi haec ex corde pronuntiare nouerit. Siquidem sine horum scientia nullus saluus esse poterit.

In uno enim fides et credulitas christiana continetur; in alio, quid orare et petere a Deo debemus exprimitur.

Quod uero sine fide nemo possit saluari, Dominus ostendit cum dicit:

Qui crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit.

Nullus autem credere potest quod nescit nec audiuit. Ait enim Paulus:

Quomodo credent ei quem non audierunt?

Nec sola sufficit fides in corde, nisi etiam uerbo enuntietur, ut idem apostolus testis est:

Corde enim creditur ad iustitiam; ore confessio fit ad salutem.

Nullus autem de stoliditate sensus, uel tenuitate ingenii causetur; quia haec tam parua sunt, ut nemo tam hebes et barbarus sit, qui hoc dicere, et uerbis omnibus enuntiare non possit: tam magna, ut qui horum scientiam pleniter capere potuerit, sufficere sibi credatur ad salutem perpetuam.

Illud etiam obseruandum, ut nullus suscipiat infantem in baptismo a sacro fonte, antequam idem symbolum et orationem dominicam coram presbytero decantet. Ex concilio Cabilonensi, capitulo III:

Iubendum est, ut oratio dominica, in qua omnia necessaria humanae uitae comprehenduntur; et symbolum apostolorum, in quo fides catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus discatur tam latine quam barbarice, ut quod ore confitentur corde credant.

Ex concilio Parisiensi, capitulo II:

Ut nemo a sacro fonte aliquem suscipiat, nisi orationem dominicam et symbolum iuxta linguam suam et intellectum teneat, et coram presbytero decantet: et ut intelligent omnes pactum quod cum Deo pepigerunt.

Ex concilio Garinaziensi, capitulo I:

Caueant presbyter), ut neque uiri, neque feminae de sacro fonte filios uel filias suscipiant, nisi memoriter symbolum et orationem dominicam tenuerint.

Ex concilio Agathensi, capitulo XII:

Symbolum etiam placuit ab omnibus Aecclesiis octauae die ante dominicam resurrectionem publice in ecclesia competentibus tradi.

Hac itaque auctoritate patrum eruditi, praesenti die ante resurrectionem octaua decreuimus praedicti symboli non uerba docere, quae iam didicistis, sed aperire sensum eorum quae profertis; cum cordis potius fides sit quam oris, et prius ipsa sit habenda quam eius confessione facienda. Quem etiam ordinem Apostolus assignans:

Corde, inquit, creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.

Dicit enim Scriptura:

Omnis qui credit in eum, non confundetur.

Et post aliqua:

Quomodo autem credent si non audierint? Quomodo autem audient sine praedicante... etc.?

Hoc igitur, fratres, tam salubre consilium ab ortu suo Aecclesia prouidens, breuissimum fidei symbolum composuit, /605/ quod et summam fidei comprehenderet, et uerborum multitudine confitentem non grauaret. Hoc autem illud est quod non conciliorum, sed ipsorum esse creditur apostolorum: et iuxta numerum eorum totidem sententiis dicitur comprehensum. Symbolum autem collatio dicitur, quando uidelicet homines conuiuaturi partes suas in unum conferunt, unde comessiones fiant. Hinc illud est in Prouerbiis:

Noli esse in conuiuio potatorum, nec in comessionibus eorum qui carnes ad uescendum conferunt: quia uacantes potibus, et dantes symbola, consumuntur.

Ad hanc itaque similitudinem symbolum dicuntur diuersorum sententiae in unum congregatae, summam fidei continentes. Unde et Eusebius Emisenus homilia de Symbolo Fidei:

Sicut nonnullis scire permissum est, apud ueteres symbola uocabantur, quod de substantia collecti in unum sodales in medio conferebant ad solemnes epulas, ad coenae communes expenses, ita et Aecclesiarum patres de populorum salute solliciti, ex diuersis uoluminibus Scripturarum collegerunt testimonia diuinis grauida sacramentis, ad animarum pactum salubre conuiuium, uerba breuia, etc., et hoc symbolum nominauerunt.

Est quippe quasi quoddam spiritale conuiuium diuini uerbi refectio, et quasi quaedam mensa Scriptura nobis apposite, in qua tot sunt fercula quot sunt doctorum sententiae. De hac mensa scriptum est:

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.

Item, de pane diuini Verbi:

Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei.

Sed etiam apud philosophos Timaeus Platonis diuersarum collationem sententiarum sub specie cuiusdam conuiuii componit, dicens:

Unus, duo, tres, quartum enim uero uestrum, Timaeae, requiro; qui hesterni epuli conuiuiae fueritis, hodierni praebitores mutatores ex conducto resideatis.

Legimus et coenam Cypriani, in qua sancti patres, quasi quaedam fercula uirtutum, quibus praeminebant, offerentes inducuntur. Sic et apostoli tanquam inuicem conferentes, communi deliberatione praesens fidei symbolum creduntur instituisse; in quo et fidei catholicae summa, ut dictum est, doceatur, et eius salubris confessio paucis uerbis conferatur: ut simul et doctrine fidei sit perfecta, et nulla sit uerborum prolixitas onerosa. Quod quidem postmodum a sanctis patribus tanta est diligentia roboratum, ut nemini fidelium liceat uerba eius ignorare ad confitendum, etsi nondum sufficiat ad intelligendum. Sed quondam sonus sine intelligentia aures tantum mulcere, non mentem reficere potest, et balatus potius quam pastus dicendus est: nec mentem excitant audita, si minime fuerint intellecta: nos, qui litterarum scioli uicemur, niti iam conuenit, ut de sensu uerborum sumamus animae pastum: nec tam ore corporis sonum, quam ore cordis capiamus sensum. Quales quidem /606/ aures tantum Dominus requirens, dicit:

Qui habet aures audiendi, audiat.

Cum autem fides omnium bonorum sit fundamentum, sine qua impossibile est placere Deo, et cordis ipsa sit potius quam oris, corde enim, ut dictum est, creditur, magis ei cordis quam corporis aures sunt applicandae, ut quod uerbis asserimus, intelligentia capiamus. Non enim longe est a mendacio, qui quod nescit profitetur, et periurii reus est, qui iurat quod ignorat. Quod quidem ne praesumamus, illa nos Apostoli reprehensio compescat, qua quibusdam improperans, ait:

Nescientes de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant.

Nulli est autem periculosius mendacium uel error, quam in his quae ad fidem pertinent: et quassa est uerborum prolatio, quam intelligentia non sequitur: quae ad hoc tantum instituta sunt, ut intelligentiam conferant audita. Quanto autem diuinorum uerborum salubrior est intelligentia, tanto haec a nobis amplius est requirenda. Ad quam nos supra memoratus adhortatur apostolus, ut cum diuinae laudis benedictiones uel orationes quaelibet in aecclesia fiunt, uel aliquid dicitur ad confirmationem cuius uel precis complectionem, "Amen" seu "Fiat" est respondendum, a nemine id

responderi permittat, qui ea quae praecesserunt, non intelligat. Sic quippe Corinthiis scribens de idiota litteras ignorante, et quasi ad respondendum in aecclesia cuiquam adstante:

Quomodo dicet "Amen" super tuam benedictionem, qui quid dices nescit?

Quod et beatus Hieronymus memoriter tenens, cum Marcellam de diuersis nominibus hebraicis erudiret:

In hebraeo, inquit, legitur amen, quod scilicet ea uera sint dicta quae supra confirmantur.

Unde et Paulus asserit non posse aliquem respondere "Amen", id est confirmare ea quae supra dicta sunt, nisi intellexerit praedicationem.

Qui et ad omnium intelligentiam, quae in aecclesia dicuntur, uehementer nos excitans:

Impleamini, inquit, Spiritu sancto, loquentes uobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritalibus.

Non enim sibi uel secum loquitur, qui quod dicit minime intelligit: cum totum, ut dictum est, sermonis officium ad intelligentiam sit accommodatum: nec sermo sine intelligentia prolatus tam sermo quam sonus sit habendus. Ut igitur, iuxta Apostolum, malitia paruuli, sensu autem perfecti, firmum teneamus fidei fundamentum, quod proposimus expositionis luce, prout Dominus annuerit, consummemus.

CREDO IN DEUM. Sed ut confessionis suae ueritatem obseruet, ne os, quod mentitur, occidat animam, attendere primum debet et quid sit credere in Deum. Aliud quippe est credere Deum, aliud credere Deo, aliud credere in Deum. Credere quippe Deum est aestimare quod ipse sit. Credere Deo, uerbis eius, /607/ quod uera sint, uel a falsitate penitus aliena, consentire. Credere uero in Deum, est credendo eum diligere, et sic eius membrum fieri uel esse. Haec uero illa est fructuosa fides, quae, ut dicit Apostolus, per dilectionem operatur; et de qua, ut diximus, scriptum est:

Omnis qui credit in illum non confundetur.

'In illum' inquit potius quam 'illum', uel 'illi'. Illi quippe duo priores fidei modi, cum uidelicet Deum uel Deo credimus, communes nobis sunt cum reprobis, et cum ipsis etiam daemonibus. De quibus et beatus meminit Iacobus, quia

daemones credunt et contremiscunt

et fides sine operibus mortua est. Hic uero tertius credendi modus, quo uidelicet in Deum creditur, solus inter reprobos discernit et electos. Ut igitur uera sit nostra fidei confessio, qua singuli cotidie dicimus: CREDO IN DEUM, sic uiuere studeamus, ut hoc uere dicere ualeamus. Aliter quippe membrum ueritatis non erimus, et plus nobis officit falsitas confessionis, quam eius prolatio adiuuet. Cum autem singula, quae in hac fidei confessione sequuntur, ita huic principio cohaereant, atque hinc pendeant, ut si huius ueritas uioletur, non possit in caeteris ipsa custodiri; cum uidelicet dicitur: CREDO IN IESUM CHRISTUM, ET IN SPIRITUM SANCTUM... etc., frustra reliqua confitemur, si confessionis exordium falsitatis habeat fundamentum.

PATREM OMNIPOTENTEM. Cum praemiserit Deum, unum uidelicet, non plures, deitatis astruxit unitatem. Nunc uero personarum annectit distinctionem, cum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum commemorat.

OMNIPOTENS dicitur, ut beatus meminit Augustinus, non quod omnia possit, hoc est, quaslibet in se suscipere actiones; sed quod eius uoluntati uel dispositioni nulla resistere potestas, uel cuiusque naturae uis eam impedire possit. Bene autem cum nos in Deum credere confitemur, omnipotentiam eius memoramus, ut quam rectum sit in eum credere, uel spem nostram in eum ponere, cuius tanta sit potentia, declaremus. Unde et Apostolus:

Si Deus pro nobis, quis contra nos?

CREATOREM CAELI ET TERRAE. Dicturus eum CREATOREM omnium esse, praemisit omnipotentem: ut ostenderet eum hoc posse qui omnia possit, et cuius uoluntati nihil resistere queat. CREATOREM autem CAELI dicit, hoc est de nihilo, non de praeiacente materia omnia, ex quibus constat mundus, operatum. Caelum quippe, quod tam aereum quam aethereum dicitur, superiores mundi partes hic appellat: terram uero, inferiores quae pondere suo in imo subsistunt, tam aquaticam scilicet quam terrenam substantiam. Possumus et per caelum et terram ita uniuersam includere creaturam, ut caelum dicamus dignitatem superiorem, id est spiritalem quamlibet naturam: terram uero quamcumque corpoream. /608/

Cum autem ita omnium creatorem Deum commemorat, quantum ei debeant uniuerse patenter insinuat.

ET IN IESUM CHRISTUM. Filii Dei personam praesens symbolum nobis commendans, eius diuinitatem pariter et humanitatem commemorat, et tam regni eius quam sacerdotii dignitatem, unde Christus dictus est, designat: per quae duo nobis Iesus, id est Saluator, efficitur. Nam quia tam regia quam sacerdotalis dignitas per unctionem instituitur, hinc merito Christus est appellatus Rex iste summus, et Sacerdos supremus, et Saluator uerus. Unde et haec nomina iam quasi propria meruit obtinere; utiam cum audimus Christum uel Iesum, eum per excellentiam solum intelligamus. Rex autem nobis est quasi supremus Dominus, et nobis praesidens, et, inter huius saeculi procellas et turbines, Aecclesiam suam nauem propriam ad portum tranquillitatis aeternae regendo dirigens, et tam uerbis quam exemplis disciplinae regulam nobis tradens. Sacerdos autem, immo et pontifex nobis factus est, dum in cruce suspensus tanquam in ara pro nobis immolatus est.

Unde autem nobis tam Christus, ut dictum est, quam, Iesus uerus existat, diligenter aperit, cum eum tam Dei quam hominis filium esse consequenter annectit, dicens:

FILIUM EIUS, id est Dei Patris, UNICUM; ne adoptiuus, sed consubstantialis putetur. Et rursum, QUI CONCEPTUS EST etc. Quod tamen dicimus UNICUM, quibusdam uidetur magis ad Dominum quam ad filium esse coniungendum, siue ad utrumque simul: ut sicut est unicus filius patri, ita et unicus sit Dominus nobis. Sicut enim personam Patris commendans, eum et OMNIPOTENTEM et CAELI ET TERRAE dixit CREATOREM; ita nunc ad

honorem Filii, eum non solummodo Christum et Iesum, uerum etiam Dominum confitemur nostrum et UNICUM, id est, solum Dominum nostrum, secundum hoc quod eius solius pretioso sanguine empti sumus.

Aut si forte quem moues etiam Patrem et Spiritum sanctum non minus nostrum dici Dominum, sciat ita Filium solum dici Dominum nostrum, ut praeter eum non sit alius omnium Dominus. Licet enim utraque aliarum personarum aequae Dominus noster sicut et Deus sit dicenda, quia non est alius Dominus una persona quam alia, sicut nec alius Deus quaelibet earum; ita Deus uel Dominus sola est dicenda, ut nullatenus res alia Dominus sit existimanda, uel alius ab ea Dominus sit credendus; cum idem Dominus sicut et Deus una sit persona cum alia.

QUI CONCEPTUS EST. QUI, inquam, Christus, siue QUI filius Dei secundum assumptam humanitatem CONCEPTUS EST etc. Ac si diceretur: Cuius humanitas de ipsa substantia Virginis per operationem diuinae gratiae concepta est, et nata. /609/ Nam et cum singuli homines ex anima constent et corpore, secundum tamen solam corporis naturam, quae traducitur, concipi a matribus, uel nasci dicuntur. Bene autem dicturus eum de Virgine natum, ne quis quaereret qualiter id fieret, praemisit conceptum per Spiritum sanctum: sicut et matri quaerenti:

Quomodo fiet istud?

dictum est ab Angelo:

Spiritus sanctus superueniet in te... etc.

Ex quo quidem non mediocriter ipsam quoque Spiritus personam nobis commendat, dicendo uidelicet per operationem eius illud corpus esse conceptum, in cuius hostia omnium redemptio est consummate. Quod nec minus per ipsum spiritum Apostolus dicit pro nobis oblatum sicut et conceptum. Hinc est illud ad Hebraeos, ubi in hac nostrae salutis consummatione totius Trinitatis operationem commemorans, ait:

Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis uitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto inagis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?

Cum autem ipsum uel conceptum uel natum de Spiritu sancto audimus, aliter a Virgine conceptum, aliter eum de Spiritu conceptum; uel aliter eum de Spiritu natum, aliter de Virgine natum intelligamus: a Virgine quidem, uel de Virgine, secundum quod de substantia eius tanquam matris carnem acceperit: de Spiritu uero, secundum hoc quod per diuinae, ut dictum est, gratiae nouam ac mirandam operationem factum est: ad quam nulla institutio naturae sufficere poterat. Non ergo ita in hac natiuitate uel incarnatione Domini patrem eius intelligere debemus Spiritum sanctum, sicut eius natiuitatem profitemur uirginem. Sicut enim illa eius aeterna generatio de substantia Patris sine matre est, sic ista temporaliter de matre sine patre est.

Operatorem itaque, ut dictum est, potius quam patrem Spiritum sanctum hinc intellige, sicut et in singulis quae facit Deus operator dicitur, uel creator potius quam pater proprie dicendus est. Et attende quod cum dicitur filium Dei de Virgine natum, eundemque tam Dei quam hominis filium esse astruit, unitatem personae in duabus naturis, diuinae scilicet atque humane, confirmat. Quamuis enim secundum diuinitatem ex solo Patre sit genitus, et secundum humanitatem ex sola matre sit natus, aliaque sit natura Dei, alia hominis; aliud sit diuinitas, aliud humanitas: una tamen est in Christo persona, in duabus naturis consistens, nec est aliud in persona filius Dei quam filius hominis.

Quamuis aliud sit in nature Verbum quod hominem assumpsit, quam homo ipse assumptus; nec duo sunt Christi, assumens et assumptus, sed unus Christus: sic nec duo sunt homines uel duae personae anima hominis et eius caro, licet aliud secundum naturam sit anima quam caro, cum illa uidelicet /610/ sit incorporea substantia, haec corporea: hoc est, illa corpus, haec spiritus. Si ergo in singulis hominibus duae sunt naturae, corporea scilicet, atque incorporea, sed una tantum persona: sic et in Christo duae sunt naturae, diuina scilicet atque humana, sed una solummodo persona. Persona quippe quasi per se una dicitur, hoc est, substantia quaelibet rationalis ita per se ab aliis rebus disiuncta, ut ipsa substantiam cum aliqua re alia non constituat.

Quamdiu ergo anima humanae in corpore est, persona dici non potest, quia carni coniuncta unam hominis personam atque unam rationalem substantiam cum ea constituit. Sic et Verbum homini in Christo unitum unam Christi personam, non duas reddit. Iuxta quam quidem unionem personae eundem Christum tam Dei filium quam hominis profitemur, et tam Dei filium quam hominis dicimus crucifixum, mortuum, et sepultum: cum tamen ista non nisi secundum humanitatem sint accipienda. Unde et Paulus Dominum gloriae crucifixum esse non ueretur dicere, et qui descendit de caelo, et qui ascendit, eundem esse. Et ipse Dominus Christus de se ipso loquens:

Nemo, inquit, ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, filius hominis qui est in caelo.

Et iterum:

Si ergo uideritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius...

etc.

Cum itaque Christus proprie dicatur Deus et homo simul, hoc est tria illa simul in naturis propriis discrete, Verbum uidelicet, anima humana, et caro: ad ostendendum tamen unitatem personae tam diuersarum in Christo naturarum, ita saepe uocabula permiscemus, ut modo Verbum, modo animam, modo etiam carnem dicamus; et nonnunquam quae propria sunt Dei, homini ascribamus, uel e conuerso. Cum enim dicitur Apostolus:

Christum Dei uirtutem et Dei sapientiam

et rursum:

Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens... etc.

quis hoc ad ipsius diuinitatem non referat? Sed et Cum ipsemet Christus de se et Patre loquens, dicat:  
Quia ego et Pater unum sumus  
et rursum:

Quia Pater maior me est

quis non uideat hoc et illud secundum aliam et aliam naturam de ipso dici? Quem etiam cum dicimus ad inferos descendisse, uel in sepulcro fuisse; quis non illud de anima sola, hoc de corpore solo intelligat?

Hoc quippe modo et Petrum Romae in sepulcro esse, et eundem in caelestibus cum Christo profiteamur gaudere; cum tamen hoc de alia, et illud de alia dicamus substantia, non tamen de alio Petro, quamuis post dissolutionem corporis et animae iam non sit una in Petro persona ex anima simul et corpore compacta. Ad illam tamen unionem personae, quae iam fuit, non quae modo sit, respicientes dicimus /611/ Petrum ipsum et ibi esse in sepulcro, et in caelestibus cum Christo. Qui etiam sepulcrum alicuius intuens dicere non ueremur: Hic homo qui hic iacet magnam scientiam et pulchritudinem habuit, cum tamen illud cadauer nec iam homo sit, nec scientiam habuit, quae solius erat absentia animae, nec ipsa anima, quae scientiam illam habuit, ullatenus habere corporalem illam pulchritudinem potuit, sed in diuersis penitus naturis scientia illa et pulchritudo fuerit, illa quidem in anima, haec in corpore. Cum itaque dicimus hunc, qui hic iacet, sapientem fuisse, propter unitatem uidelicet personae, quae iam non est, sed fuit: cur non dicamus de Christo hunc, qui Deus est, hominem esse? uel hunc, qui de caelo descendit, ascendisse, hoc est unam Dei et hominis, uel Verbi descendit est hominis personam esse?

Alioquin, quomodo dicemus aliquem intuens hominem, quia hic, qui pulcher est, sapiens est? nisi uidelicet secundum unitatem personae, in cuius diuersis, ut dictum est, partibus pulchritudo et sapientia ita sunt distincta, ut aliud ibi pulchritudinem habeas, id est corpus; aliud sapientiam, id est anima. Sicut ergo dicimus eum, qui pulcher est, uel qui animatus, sapientem esse, cum tamen pulchritudo, uel animatio solius sit corporis, sicut sapientia solius animae: ita et unum eundemque Christum et Deum dicimus et hominem, hoc est unam ex istis uel in istis naturis consistere personam: et cum Christus adhuc in terra consistens dicit filium hominis in caelo esse, uel in caelo quondam fuisse, quid aliud sonat nisi humanam naturam ei esse unitam, quae per praesentiam diuinitatis ubique consistentis a caelesti celsitudine non est remote? Quid ita mirum, si cum superius praemissum sit FILIUM DEI, statim adiunctum sit: QUI CONCEPTUS EST DE SPIRITU, uel NATUS DE VIRGINE, hoc est, assumpta humanitas sic concepta est uel nata? Sic quippe intelligimus et Dominum gloriae crucifixum, hoc est hominem uel corpus ab eo assumptum tali patibulo affixum. Iuxta quod et Maria Magdalena Dominum suum de monumento dicit sublatum, id est corpus Domini sui: sicut et dicimus hic Petrum sepultum esse, de solo eius corpore id intelligentes; et rursum, ut dictum est, ipsum in caelestibus esse, de sola eius anima hoc intendentes. Saepe quippe de toto ad partes, uel de partibus ad totum translationes fiunt nominum: ueluti cum modo animam, modo carnem totum hominem dicimus, et nonnunquam animam desiderii carnalibus irretitam carnis nomine designamus.

PASSUS, secundum eandem scilicet humanitatis naturam de Spiritu conceptus, uel ex Virgine dietus est natus.

SUB PONTIO PILATO, hoc est, eo ibi dominante ubi passus fuit. Pontius uel cognomen uel gentile nomen esse patet ex aliquo loco. Bene autem gentilem commemorat praesidem, ubi ex hoc etiam insinuet iam illud tempus aduenisse, quo iam iuxta Prophetiam Iacob siue Danielis unctio regia in populo Iudaeorum defecerat. /612/

CRUCIFIXUS. Genus quoque patibuli determinat, quod ignominiosius erat, sicut et praedictum fuerat: Morte turpissima condemnemus eum.

ET ita MORTUUS ET insuper SEPULTUS, ut in omnibus humanitatis ueritas comprobetur, et tanto amplius diligatur a nobis, quanto grauiora uel indigniora sustinuit pro nobis.

DESCENDIT AD INFEROS. Qui MORTUUS dicitur et SEPULTUS, ipse etiam AD INFEROS descendisse asseritur: cum illud tantum secundum corpus, hoc secundum animam intelligatur. Ipsa quoque anima, quae in carne fuisse fuerat, ad inferos dicitur descendisse; quia passionis illius efficaciam iusti senserunt antiqui, per eam a paenis liberati. Non enim anima, uel spiritus aliquis, ut beatus meminit Augustinus, loco mouetur, sed solummodo corpus. Sicut ergo Deus, qui ubique est, descendere quoque dicitur secundum aliquem suae operationis effectum, ita et anima illa secundum efficaciam propriae passionis, quam habuit in electis, descendisse liberando dicitur. Solius quippe animae uel sentire uel pati est, etsi ei hoc ex carne accidat, tanquam quodam talium instrumento. INFEROS itaque dicit poenales illas tenebras, quas iusti etiam sustinebant, adhuc extra diuinae gloriae conspectum constituti, ad quam totis desiderii anhelabant. Cuius quidem gloriae uisio summa est illa felicitas ab omni paena penitus immunis, quam latroni Dominus ipse promittit dicens:

Hodie mecum eris in paradiso.

TERTIA DIE RESURREXIT A MORTUIS. Hoc est, de inter mortuos, tanquam ueraciter corpore defunctus propria uoluntate, non aliena, est suscitatus. Sicut et ipsemet ait:

Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam.

Nota ordinem, quod priusquam surrexit, AD INFEROS descendens, salutem nostrae liberationis, antequam gloriam suae resurrectionis est operatus: quia non tam suae quam nostrae in his omnibus requirebat. Ipso itaque die passionis suae, antequam resurgeret, uel caelos ascenderet, tam praedictum latronem quam antiquos uiros in paradysum introduxit: quia eis suae diuinitatis uisionem exhibens, uera iam beatitudine, quam paradysum nominant, animas eorum satiauit. De qua quidem satietate propheta dixerat:

Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Extra quam quidem uisionem gloriae quidquid est, eius comparatione dicendum est tenebrae: nec est prorsus alienum a paena, quantacumque sint quietis remedia.

ASCENDIT AD CAELOS. Sicut corpore surrexit de sepulcro, ita et corpore ASCENDIT AD CAELOS, et utrumque in propria potestate, ut non tractus esse, sed magis /613/ dicatur ascendisse. Ut enim ipse ait:

Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo.

Alii quippe magis trahi quam ascendere sunt dicendi. Absit autem, ut Christo iam per resurrectionem glorificato corporalis eius ad coelos ascensus aliquid beatitudinis contulerit. Quae est enim in futura uita beatitudo rostra, nisi illa diuinitatis uisio, de qua Psalmista dicit:

Satiabor cum apparuerit gloria tua?

Cuius quidem uisionis lucem ciuitati per Isaiam Dominus promittens, ait:

Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, et luna non minuetur, quia Dominus erit in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes iusti in perpetuum haereditabunt terram... etc.

Quis etiam nesciat Deo, qui ubique est, nos nequaquam locis, sed operibus praesentes fieri uel absentee? Unde et angeli faciem Dei semper uidentes, cum ad nos mittuntur, nequaquam huius uisionis beatitudine priuantur. Quanto magis anima Christi, quae hac uisione perfectius semper fruitur, ea nunquam priuari potuit? Quid est itaque humanitatem eius caelos conscendisse, uel ut diligentius Apostolus ait, eum super omnes caelos ascendisse, ut adimpleret omnia, nisi loco corporali ascensu monstrasse eam omnium beatorum altitudinem transcendisse? De qua quidem dignitatis excellentia, qua transcendit uniuerse, dictum est per prophetam:

Eleuata est mensura tua sicut cedrus.

Et per Apostolum:

Propter quod et Deus illum exaltauit, et dedit ei nomen quod est super omne nomen.

Et iterum:

Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto angelis melior effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditauit.

Ascendisse itaque ad caelos dicitur, non ut eius beatitudo uel gloria per corporalem eius ascensum augeatur, sed ut per ipsum declaretur.

Absit enim, ut dictum est, quod post resurrectionem ipsi aliquid beatitudinis uel gloriae suae in anima siue in corpore credamus collatum esse: sed quod iam obtinebat, cum iam corpus suum tanta leuitate ostendebat glorificatum, ut et nubi insidere, et caelos penetrare, et longe iam diuersum factum esse ab hoc corruptibili corpore, quod aggrauat animam, et sensus nostri deprimit uigorem. Ut ergo fideles hanc in suds corporibus glorificationem expectarent, ut ubicumque uellet Spiritus, ibi sine ulla difficultate statim esset corpus, hoc primum in seipso caput exhibuit, quod exemplo eius sperandum esset membris. Sicut ergo filius Dei de caelo descendisse dicitur humiliatus, et secundum assumptam humanitatem quodammodo angelis minor factus, ita et filius hominis ascendisse dicitur exaltatus, quamuis et /614/ corporalis ei non defuerit ascensus, qui hunc exaltatum attestaretur. Nam et quod mox additur: SEDET AD DEXTERAM PATRIS, non de corporali eius sessione, uel de corporali eius dextera Patris est accipiendum. Quid est enim hominem Christum ad dexteram Dei sedere, nisi eum in gloria Dei Patris, hoc est in superna illa beatitudine digniorem gradum tenere, tanquam omnium a Deo iudicem constitutum? Unde subditur: INDE, hoc est perinde, VENTURUS IUDICARE VIVOS ET MORTUOS. Quasi caeteris electis ad sinistram Dei constitutis, solus iste assistit dexterae: quia sicut dextera praeualet sinistrae, ipse uniuersis praeminet beatitudine. Quia uero sedere iudicantium, sicut stare iudicandorum, bene per eius sessionem iudicariam exprimit potestatem. VIVOS ET MORTUOS iudicabit, quia tam electis quam reprobis uel paenam uel praemium pro meritis reddet. Quia enim iustus ex fide uiuit, et iniquitas mors quaedam animae, iuxta illud:

Non mortui laudabunt te, Domine, sed nos qui uiuimus benedicimus Dominum.

Electos hic VIVOS, reprobos appellat MORTUOS.

Vel: VIVOS dicit quos aduentus ille Iudicis occultus adhuc in corpore uiuentes reperiet: caeteros uero MORTUOS appellat.

CREDO IN SPIRITUM SANCTUM. Quae quidem confessio fidei ipsum aequae Deum sicut Patrem et Filium patenter asserit. Alioquin non diceret, IN SPIRITUM SANCTUM sed SPIRITUM tantum: sicut et consequenter dicit AECCLSIAM non "in Aecclesiam" etc.

Sicut ergo dicimus: Credo sanctam Aecclesiam, id est eam esse sanctam, ita et dicere possumus: Credo sanctum Petrum, uel: Credo sancto Petro, et: Credo sanctae Aecclesiae. Vel Petri tanquam capitis sumus, sicut membra Dei existimus. Membra tamen Aecclesiae tanquam corporis dicuntur, sed solius Dei tanquam capitis. Quod quidem illa innuit propositio cum dicitur, IN DEUM, sicut iam superius expositio nostra pefixit. Graeci tamen et IN AECCLSIAM dicere non uerentur: sicut et symbolum illud continet, quod ad cautelam fidei orthodoxae Leo III instituit, et in tabula argentea descriptum Romae altari sancti Pauli affixit.

CATHOLICAM, id est uniuersalem, et non in aliqua mundi parte, sicut sunt haereticorum conuenticula, conclusam: sed ubique dilatata, sicut et Iacob in figura Christi promissum est, cum dicitur:



Dilataberis ad Orientem et Occidentem.

SANCTORUM COMMUNIONEM. Hoc est illam, qua sancti efficiuntur uel in sanctitate confirmantur, diuini scilicet sacramenti participatione: uel communem Aecclesiae fidem, siue caritatis unionem. Possumus et SANCTORUM dicere neutraliter, id est sanctificati panis et uini in sacramentum altaris.

REMISSIONEM PECCATORUM, tam per paenitentiam, quam per uirtutem aecclesiasticorum sacramentorum.

CARNIS RESURRECTIONEM, tam in electis uidelicet quam in reprobis, /615/ et in corporibus utrorumque deinceps nulla dissolutione interueniente.

VITAM AETERNAM, siue ad gloriam, siue ad poenam.

AMEN, hoc est, uerum est. Quod quidem iuxta Apostolum, ut supra meminimus, dicere non debemus, nisi quae praemissa sunt intelleximus.

Unde ad paruulorum eruditionem, hanc quantulumcumque necessariam duximus expositionem.

\*\*\*\*\*  
\*\*\*\*\*

SCANNED FROM: Victor Cousin, ed. adiuuante C. Jourdain et E.

Despois. Petri Abaelardi opera, tom.I, Paris 1849, pp.615-617.

/615/

EXPOSITIO FIDEI IN SYMBOLUM ATHANASII

QUICUNQUE VULT SALVUS ESSE. Voluntate quippe propria, non coactione saluamur aliena.

ANTE OMNIA OPUS EST. Subaudis: Illi hoc est necessarium. ANTE OMNIA, hoc est ante spem et caritatem, uel caetera bona, quibus ad uitam aeternam peruenitur.

UT TENEAT. Non solum habeas, sed habitam custodiat, tanquam bonorum omnium fundamentum atque originem:

Sine fide quippe, ut ait Apostolus, impossibile est placere Deo.

CATHOLICAM, id est uniuersalem, et omnibus fidelibus communem, atque ita cunctis necessariam, ut nec antiqui iusti tam ante legem, quam sub lege, absque illa saluentur.

IN TRINITATE, hoc est in tribus personis existentem, et tres personas in uno Deo non solum credamus, sed etiam ueneremur. Qualiter autem haec Trinitas iuxta proprietates personarum, et haec unites secundum naturam diuinae substantiae credenda sit, statim determinat, dicens:

NEQUE CONFUNDENTES PERSONAS. Hoc est, permiscentes ad inuicem personas, ut uidelicet eamdem dicamus personam Patris, quae Filii, uel Spiritus sancti; sicut illa haeresis asserebat, quae de Patre dicebat, quia quando uult Pater est, quando uult Filius.

NEQUE SUBSTANTIAM SEPARANTES, hoc est, diuersas substantias in Deo credentes, sed unam tantum. Sicut enim diuersitatem personarum in Deo debemus credere, ita etiam unitatem diuinae substantiae. Quod statim exponens, ait: ALIA EST ENIM PERSONA PATRIS etc. Et rursus, SED PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI UNA EST DEITAS.

AEQUALIS GLORIA, id est reuerentia exhibenda.

MAIESTAS, id est dignitas. Quare? quia, QUALIS PATER, id est quantus dignitate. Quam dignitatem statim prosequitur, dicens: INCREATUS PATER etc.

IMMENSUS PATER, non mole, /616/ sed potestate omnia concludente. Vel IMMENSUS, id est incomprehensibilis.

AETERNUS, tam principio quam fine carens.

ET TAMEN NON TRES OMNIPOTENTES. Teste Augustino, nullum nomen est Dei, cuius singulare ita de singulis dicatur personis, ut eius pluralitas illis simul conueniat, praeter hoc nomen persona. Pater quippe persona est, et Filius persona, et hi duo sunt personae. At uero cum Pater sit Deus, et Filius Deus, uel Dominus, uel creator, seu principium, aut lumen, uel omnipotens: non tamen Pater et Filius aut dii plures sunt, aut creatores, aut plura principia, uel lumina, siue omnipotentes.

Quippe cum dicitur pluraliter personae, diuersitas proprietatum ostenditur, non rerum numero, uel essentialiter differentium. E contra autem, si diceremus Deos uel creatores, etc., ipsam quoque rerum essentialiter diuersarum multitudinem monstrarem, quarum unaquaeque esset Deus, etc.

PRIUS tempore uel exsistentia praecedens.

MAIUS, prolatione dignitatis.

UNITAS, scilicet substantiae in tribus personis.

TRINITAS e conuerso personarum, in unitate uidelicet substantiae.

SENTIAT, id est credat.

SALUTEM, subaudis obtinendam.

UT CREDAMUS etc. iuxta illud:

Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

NON DUO, subaudis Christi sunt, sed unus tantum in persona Christus.

Etsi ergo in Christo diuersae sunt naturae, diuina scilicet atque humana; non tamen ideo diuersae personae. Quod statim congrua similitudine confirmat, dicens:

NAM SICUT ANIMA, hoc est, sicut in uno homine diuersae sunt naturae, spiritalis et corporalis; nec tamen ideo duo homines uel duae personae: ita in Christo duae, ut dictum est, sunt naturae, non tamen duo Christi, immo uel duae personae. Persona quippe quasi per se una dicitur, non rei alii in unam rationalem substantiam sociata.

Diuinitas itaque humanitati in Christo coniuncta per se ibi persona una non est dicenda, et humanitas altera, sed duae simul una sunt persona, quae proprie Christus dicitur.

OMNES HOMINES RESURGENT, etiam illi qui tunc reperientur uiui. Hi namque dum rapiuntur obuiam Christo in aera, in ipso raptu, quo iudici occurrent, morientes, statim reuiuiscunt; et hoc ipsum erit eis resurgere quod reuiuiscere. Quod si opponatur de quibusdam, quorum resurrectio iam complete creditur, ueluti de his qui dominicae resurrectionis testes sue quoque resurrectione fuerunt; ita intelligendum est tunc omnes resurrecturos esse, ut tunc omnium resurrectio ita compleatur, ut neminem deinceps resurgere contingat, sicut nec morte dissolui.

CUM CORPORIBUS SUIS. Hoc est, resumtis eisdem corporibus, quae prius habuerant cum in mortem corruerunt. Non enim resurget nisi quod cecidit. At uero utrum hi, qui paruuli moriuntur, /617/ uel qui diu uixerunt, illud solum, uel illud tantum ibi sint habituri de quantitate suae corpulentiae, quod hic habuerunt, nonnulla est quaestio. Quidquid tamen de hoc aestimemus, illud procul dubio constat, resurrectionem dici non posse absque illa corporis substantia, quae pertulit casum in morte.

ET REDDITURI SUMUS. Si hoc quoque generaliter de omnibus intelligatur, quaerendum uidetur quomodo paruulis morientibus id conueniat, uel perfectis iustis, qui potius sunt illi iudicaturi quam iudicandi.

Quippe quae ratio de suis tunc ab eis exigenda est, discussio est facienda, qui in tanta perfectione beatitudinis apparebunt, ut cum ipso Domino resideant iudicantes, nec tam pro se rationem REDDITURI, quam a caeteris exacturi. Denique paruuli, quibus nulla imputanda sunt opera, quam ibi habent rationem reddere de propriis factis? Sed profecto, quemadmodum diximus omnes homines ibi resurgere, non ut de singulis tunc resurrecturis id cogamur intelligere, sed ita tunc omnium resurrectionem compleri, ut nulla ulterius fiat: ita et hoc loco omnes tunc reddere rationem dicuntur, ut tunc de omnibus ita sit consummatum iudicium, ut nulla deinceps discussio restet, ne de quoquam amplius dubitetur, utrum praemio uel poena dignus sit. Et hoc est eos ibi de propriis operibus reddere rationem, manifestari omnibus quid horum meruerint. Quae duo statim determinat, tam praemium scilicet, quam poenam, dicens:

ET QUI BONA EGERUNT, hoc est, in proposito bonorum operum uitam consummauerunt, qualiacumque praecesserint opera.

VITAM AETERNAM, hoc est beatitudinem indeficientem.

IGNEM AETERNUM, hoc est summum atque indeficientem cruciatum, siue ille ignis corporeus tantum sit atque materialis, siue quicumque interior animae cruciatus, qui nomine ignis maxime nos cruciantis, et ualidius consumentis, cum sit acutius elementum, et penetrabilius caeteris, quo minus ei resisti queat, exprimitur. Et attende nihil hic de paruulis qui nihil habent meritorum, dictum uideri; quamuis eos quoque non minus [quam] adultos saluari constet aut damnari. Sicut enim tam haec scriptura quam caeterae non nisi adultis, et qui capaces sunt rationis, ad eruditionem fiunt: ita satis uisum est hoc loco tantum de his eos instruere, quae ad ipsos pertinent.